

De cordis polypis : dissertation inauguralis medica ... / auctor Guilelmus Baly.

Contributors

Baly, William, 1814-1861.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xadwwyun>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
COREDIS POLYPIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
F R I D E R I C A G U I L E L M A
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. MENS. MARTII A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
GUILELMUS BALY
ANGLICUS.

OPPONENTIBUS:

J. J. MAC CALDIN, MED. ET CHIR. DR.
J. GUILLEMARD, MED. ET CHIR. DR.
CAR. SPONHOLTZ, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

卷之三

周易口義

PATRI CARISSIMO
GUILLELMO BALY
MERCATORI.

DEUTSCHES LITERATUR

THEATER DER KUNST

PHOTOGRAFIE

1871 dienten sephardi und judeo-orientalische
und persische Elemente den Komponisten zu Vorbildern, so dass die
Musik von jüdischen und orientalischen

Elementen bestimmt war. Die jüdische und orientalische Musik ist
durch die jüdische und orientalische Sprache bestimmt.

Die jüdische und orientalische Sprache ist die Sprache der jüdischen und
orientalischen Religion. Die jüdische und orientalische Sprache ist die Sprache

der jüdischen und orientalischen Religion. Die jüdische und orientalische Sprache
ist die Sprache der jüdischen und orientalischen Religion.

Die jüdische und orientalische Sprache ist die Sprache der jüdischen und
orientalischen Religion. Die jüdische und orientalische Sprache ist die Sprache

LITERATURA.

Lieutaud, Précis de la médecine pratique. Paris 1761.

Joh. Pasta, De sanguine et sanguinis concretionibus per anatomiam indagatis. Bergami 1786.

De Haen, ratio medendi, Tom. II.

Fr. Hoffmann, Systema medicinae rationalis Tom. III., Sectio 1. Caput VII.

Haller, Elementa Physiologiae. Tom. V. Sect. 1.

Will. Hewson etc. Philosoph. Transact. Vol. 60. p. 368.

Richard Brown Cheston: Lond. med. Journ. 1785. p. 225.

Clifton Wintringham, de morbis quibusdam Commentatio. London 1782.

Knips-Makoppe, de Aortae aneurysmate et Polypo cordis

Senac, Traité de la structure du coeur etc. Tom. II.

Meckel, pathol. Anatomie. Leipzig 1718.

Wichmann, Ideen zur Diagnostik Band III.

Kreisig, Krankheiten des Herzens Band II.

Horn u. Nasse, Archiv Jahrgang 1818.

*Corvisart, Essai sur les maladies et les lésions organiques
du coeur et des gros vaisseaux. Paris 1818.*

Laennec, de l'auscultation Tom. II.

*Hope, Treatise on the diseases of the heart etc. Lon-
don 1832.*

I. NONNULLA EX CORDIS POLYPORUM CON- TROVERSIIS.

Saeculo decimo sexto *Vesalius* et *Benivenius* primi fuisse videntur, qui, quum sectionibus maximam morbis lucem afferri intelligerent, accuratiorem cordis polyporum notitiam sibi comparaverint eorumque mentionem fecerint.

Dum tamen plerique auctores polypis omnia illa, quae organicis cordis morbis provocari nunc nos non fugit, symptomata adscripserunt, aliosque morbos hisce confutarunt, mox extiterunt medici, qui veros polypos adesse omnino negarent, quos sanguinis coagulatione tantum aut inter moriendum aut post mortem exortos esse contenderent.

Praecipue *Lieutaud*, medicus tunc temporis celeberrimus, et *Jos. Pasta* huic sententiae faverunt. Ille in tribus millibus, et quod excessit, cadaveribus dissecandis, nunquam aliud nisi sanguinis coagulationes inter moriendum sive post mortem formatas se invenisse contendit ideoque sententiam, qui veros polypos defenderent, plane absurdam sese habendam censuit.

Pasta causis, quae sequuntur, nixus *Lieudaudii* sententiae consensit illisque ingeniose et praetexte enucleatis permultos medicos ad suam opinionem permovit:

Primum sanguinis fibrinam vel venaesectione emissam vel post mortem in eandem firmam substantiam mutari, quae illa sit, ex qua polypus sic dictus constet, statuit; si enim sanguinis placentam frigida abluiisset aqua, paulo post albidam, saepe tunicam fibrosam, quin non raro solidam membranam sese formasse.

Variam falsorum polyporum sedem, quippe qui et in mortuis hominibus et vivis animalibus, quae suspenderbat hauc massam semper in superiori parte formatam observaret, nonnisi situ inter moriendum saepius mutato varioque cordis spatio declaravit. Dein, contendit *Pasta*, polypos veris sanguinis vasis instructos et nutritos esse debere, quae nondum essent demonstrata illaque, quae *Manget*, *Lower* se observasse affirmarent, canaliculos tantum et rimas fuisse.

Praecipue autem eo sententiam fulcire studuit, quod, si polypo formato ventriculi obstructi et ad brevius spatium redacti essent, majori cordis dilatatione ad vitam servandam opus sit, cuius quidem rei a plerisque, qui cordis polypos defenderunt, auctoribus, aut non fiat mentio, aut, si facta, num cordis dilatatio praecesserit an illam sit sequuta, non distinguatur. Hisce causis ingeniose praetextis atque enucleatis, priores defensores: *Tulpius*, *Bartolleti*, *Bursieri* aliique plane convicti esse videntur.

At anatomiae pathologicae, postquam cadaveribus in explorandis majora incrementa ceperat, cordis polypis inter morbos loeum concessum esse debemus.

Qua enim fisus, *Burns Pasta* sententiae se opposuit

sanguinisque vasa in cordis polypo, in quo jam pus se conformaturum erat, adesse docuit.

Paulo post aliae similesque observationes cum doctis inter alios quoque a *Meckel* in anatomia sua pathologica, communicatae sunt.

Wichmann, qui dubitanti: veni atque vide (praeparatum nempe, quod possidebat, pathologicum) acclamavit aliique auctores in vivis hominibus, omnibus caeteris morborum causis deficientibus, symptomata perniciosa et quae mortem ipsam provocare valeant, existere, documentis confirmarunt, ita ut nostro tempore, polypos cordis in vivis hominibus occurrere, a nemine possit negari.

II. DE CORDIS POLYPORUM NATURA.

Lieutaudii atque *Pastae* controversiis cordis polypi ut in veros et falsos, origine, chemicis et physicis signis inter se diversos dividerentur, effectum est. Quod falsorum polyporum originem attinet, hi in moribundis et nuper mortuis tantum gignuntur, substantiae mollis, magis gelatinosae, quae servida aqua solubilis sanguinis tantum coagulum est et e lympha facile coagulante constat. Falsus polypus in ventriculis libere natat sanguinisque vasis caret atque saepius in atris et ventriculis reperitur, praecipue autem in dextro ventriculo, propter majorem sanguinis ad coagulandum proclivitatem.

Qui polypi, quum nusquam symptomata graviorem cordis morbum indicantia ederent, quum in mortuis alia morbi mortisque signa semper invenirentur, nusquam cum veris polypis confundi possunt. Falsam ergo auctorum opinionem, qui diagnosin falsos inter et veros interdum difficilem esse judicant, habendam esse censemus.

Veri polypi, quos *de Haen* antiquorum nomine compellat, semper in vivis hominibus oriantur necesse. Omnia aliena corpora inter se diversissima, quae in ventriculis existunt et conformantur, quamquam a plerisque auctoribus pro veris polypis habentur, tamen iisdem tantum, qui sequuntur, adnumerari posse censemus:

Concrementa fibrosa sive caseosa, quae, fibris internae cordis membranae accrescentes atque pseudomembranarum modo formatae, propria quasi vita sanguinis vasis effecta fruuntur. Concrementa porro illa, quae *Laennec* (Tom. II, pag. 630) végétations globulaires nominat, stilo tenui membranae internae conjuncta.

Tunicae mucosae tamen polypi nostris nullo fere modo comparare possunt, jam propter illius et intimae cordis membranae diversitatem, quam anatomicis mox serosam, mox tenuem tunicam cellularem dijudicare placuit.

Sine jure *Wichmann* illud concrementum polyposum, quod firmae texturae, duas lineas crassum, cubitos duos latum in atrio dextro seminae octodecim annos natæ invenerat, veris polypis adnumeravit. Concrementum sine pedibus atque accretione, sanguinis vasis carens nigrum inter sanguinem erat positum. Puella ipsa, prius satis bona gavisa valetudine, paucis diebus sub angoris, singultus, pupillæ rigidae, pulsus vacui symptomatibus subito moriebatur, qua in secunda nulla alia mortis causa inventa esse dicitur.

Qui tamen casus, quum unicus sit, qui observaretur, quamquam de mortis causis propter decursus morbi sectionisque signa accurate defientia dijudicare nolimus atque potius verum connexum paululum dubitemus, ad mutandam sententiam nos permovere nequit.

In ateriis atque venis similes quoque polypos, propriis vasis nutritos et vasorum parietibus accretos haud raro occurrere, memoratu dignum esse putamus.

Hodgson, Burns, Bertin, Laennec, Builland, Velpeau plures casus observarunt; in venis hydrops partialis luminis obstructione haud raro se format.

Veri cordis polypi inter se differunt

1. *Structura.*

Plerumque est solida *), fibrosa, seri paucillum continens, saepe ex concentricis lamellis constans. In superficie sanguinis maculae, quae quoque penitus se continuant, observantur. Alii polypi in cavitate lympham, interdum pus verum continent et propria tunica obteguntur. Alii magis caseosae structurae et primis fibrinae lamellis aneurysmatis spurii haud dissimiles sine pedibus tam firme cum cordis tunica cohaerent, ut cultro tantum separari possint.

Polypi sic dicti végétations globulaires sunt excrecentiae globulares, rotundae irregulares, quae a pisi usque ad ovi magnitudinem variant, superficie externae glabrae, internae magis asperae, parietis lineae dimidiae. In cavo fluidum sanguinolentum, turbidum sive puriforme contentum est. Substantia interior mollior, quam externa apparet. Stilus, quocum praesertim in apice ventriculo tunicae internae adhaerent, propter minorem organisationem serius formari videtur.

Nequaquam tamen adhuc satis operae impensum est

*) Bordenave (*Hist. de l'acad. roy. d. sc. An. 1768.* pag. 45) polypi osseae fere structuræ mentionem facit, qui in ventriculo dextro Jesuitæ cujusdam detectus erat et quatuor digitos in longitudinem, duos in latitudinem adaequavit.

ad structuram perscrutandam, cujus e diversitate originem magis declarari posse persuasum nobis habeamus.

II. Colore.

Polypi non eundem colorem, mox albidum mox subflavum, fuscum, rubicundum, rubrum habere solent, qui etiam in variis unius polypi locis variat et in ictericis nonnunquam plane flavus invenitur, in aliis purpureus.

III. Sede

aut in cordis parietibus vel valvulis una pluribusve radicibus adhaerent imprimis in sinistro ventriculo propter majorem sanguinis arteriosi coagilitatem et tum in magna vasa se continuant — aut, ut végétations globulaires libere natant, stilo tenuiore et longiore non raro cum musculis papillaribus et trabeculis carneis conjuncti.

IV. Magnitudine.

Minimi iisque tuberculosi et magis coacervati pisi magnitudinem non excedunt — tales in apice ventriculi sinistri *Nasse* saepe invenit — medii ovulum adaequant eaque magis sphaeroidea et glabra, saepe autem tanti, ut cordis ventriculos atriaque plane expleant et interdum in vasa porrigantur. Pondus a nonnullis granis uncias adaequare potest. A viro Cel. *Corvisart* cordis polypi in tria genera dividuntur, quorum primum veros nostros polypos, ante mortem exortos, e fibrosa massa constantes, vasis instructos et nutritos parietibus accretos amplectitur; secundum genus constituunt, qui inter morendum sanguinis coagulatione formati erant libereque in cavis nare apparuerant, polypi, tertium denique post mortem apparentes, qui parietibus interdum paululum adhaerent.

Non omittenda est veterum medicorum, polypos ani-

malia, quae in cordis parietes se immorderent hominesque infandis cruciatibus vexarent, fингentium, sententia.

Cujus generis duo casus in *Boneti Sepulchreto* anatomico tom. I, lib. I, II commemorantur, alter a *Drelincourtio*, alter a *Majo* sub: *historia anguis bifidi*, titulo. Ad hos errores partim structura polyporum sphaerideo-rum, hydatidibus haud omnino dissimilium, partim aegrotorum sensibus et narrationibus permoti esse videntur. Haec tamen doctrinae de cordis polypis pars, praesertim quod ad eorum structuram chemicamque analysis spectat, accuratiori adhuc perscrutatione magnopere caret, posteritatisque erit distinctius inquirere atque destinare.

III. SENTENTIAE, QUAE DE CORDIS POLYPO-RUM GENESI PROLATAE SUNT.

Vix cordis polypis inter morbos locus erat concessus, cum nova eorum genesi controversia inter viros doctos exsurrexerit. Etsi enim illos ante mortem existere posse non negatum sit, altera tamen pars, quorum *Testa* et *Kreysig* principes erant idiopathicam cordis polyporum genesin non comprobaverunt, sed potius internae cordis tunicae inflammatione ex carditide sic dicta polyposa illos originem trahere contenderunt. Quam sententiam praecipue eo fulcire studuerunt, quod polypi substantiam haud raro in internam cordis et vasorum membranam plane transire, observarent. Huc accedit, ut in phlebitide, quae pseudomembranam gignat, sanguinis coagulatio oriatur, quae a pseudomembrana resorpta illamque distendens prope eam quasi attractione organica coagulum quoddam formet. Qua autem ratione si cordis polypi gignantur, ab initio parieti accrescent, ut re-

cte monet *Hope*, necesse foret, quod vero experientia illos primo libere natare, tum adhaerere, tum demum accrescere docente, non confirmatur.

Altera pars, quibus *Haller*, *Wichmann*, et recentiori tempore *Hope* aliquique adnumerantur, cordis polypos idiopathicum morbum declarant, eosque ita confirmari dicunt, ut placenta sanguinis, praecipue fibrina a fluidis sanguinis partibus secreta, crystallisatione quadam polypus oriatur.

Nihilosecius tamen, nullam sententiam omnino refutantibus, medium inter ambos viam ingrediendum esse nobis visum est. Nam polypus idiopathicus et secundario modo gigni potest.

Variae causae primam genesin efficere possunt.

I. Sanguine sano ut ventriculus sive exitus plus minusve coarctatus sit necesse.

II. Sanguine admodum plastica opus est. Jam vero interdum neutra earum causarum efficiente polypi geniti sunt. Itaque altera genesis cordis polyporum praeterea statuenda est, non vero ea, quam *Kreysig* statuit, utpote adversus eam plura afferri possunt: 1) quod complures homines, in quibus cordis polypi inventi sunt, jam in provectione itaque minus ad inflammationem proclivi aetate erant; 2) quod interna membrana cordis rassisime in statu inflammatorio deprehensa est, et ubi deprehensa est, quaeritur, annon haec inflammatio secundaria irritatione cordis polyporum, utpote alienorum corporum, effecta sit. Plerique recentiores, qui organica cordis vitia semper ex inflammatione cordis interna exoriri censem, sententiae a Clar. *Kreysig* prolatae favent.

III. Ubi cor vel vasa sanguinis in degenerato ha-

bitu observata sunt, cordis polypos continuo chronicus processu inflammatory ortos esse non probatum est et in his quoque casibus facile duplex genesis declarari potest.

a) In aneurysmatico cordis vel vasorum magnorum statu sanguis facile stagnat, quoniam ejus effluxus coarctatione, quae in fine aneurysmatis est, retardatur. Quare cordis polypi fibrinae crystallisatione nascuntur.

b) in degenerationibus cordis nutritio cordis qualitative et quantitative vitiosa exstitit, per quam cordis polypi in excrescentias mutantur.

IV. *Hope* cordis polypos praecipue tum conformari edocet, si sanguinis circulatio tarda sit; quid igitur est, cur etiam venaesectionibus et usu digitalis purpureae in carditide, ubi sanguis multam materiem plasticam continet, stagnationes sanguinis et inde polypos progigni posse negemus *)?

V. Negari non potest, jam exempla cordis polyporum esse descripta, ubi a solis cordis polypis, deficientibus omnibus inflammatoryis vel aliis letalium morborum causis, mors effecta est.

Nihilo secius nonnulli auctores mortem polypis solis effici omnino negant, illosque nonnisi cum gravioribus cordis malis conjunctim letalem produxisse exitum contendunt. At perlegant nonnisi illud exemplum commemoratu dignissimum, quod *Clar. Wichmann* sub *Aenigmate medico* cum doctis communicavit. —

Itaque ex hisce omnibus sequitur, genesin polypo-

*) Jam. Hermannus Boerhaave hanc rem in cordis pathologia sua descriptione attingere videtur. Vide auserlesene Abhandlungen praktischer Aerzte Bd. 9. St. 3. S. 543.

rum ex carditide polyposa non existere. Quando carditis aderat, e polypis, qui jam prius aderant, vel e medicamentis sanguinis circulationem tardiorem reddentibus, quorum ad carditidem removendam usus factus est, profecta esse videtur.

Jam supra autem diximus, alteram cordis polyporum genesin esse statuendam, quae quidem tum est, ubi illi per nutritiō nem quantitative et qualitative abnormem in excrescentias vertuntur, quod quidem jam *Meckel* attigit.

1) Cordis polypi plerumque sunt in senibus, decrepidis, cachexiis et dyscrasiis laborantibus, quippe in quibus sanguis quidem paucas tantum partes plasticas retinet ideoque etiam parva proclivitas ad coagulationem prodiit, sed eo plura vestigia abnormis nutritionis, excrescentiis et exulcerationibus in externis partibus conspicuae, deprehenduntur.

2) Cordis polypi saepe conspiciuntur in degeneratis, ossificatis, itaque jam irregulariter nutritis cordibus. Quare haec polyporum generatio creberrima est et inter polypos ita progenitos praecipue polypi magis organici referendi sunt. Ex hac igitur genesi secundarius, ex illa altera idiopathicus primarius morbus cordis polypi efficiuntur.

IV. SYMPTOMATOLOGIA ET DIAGNOSIS.

Hujus morbi, qui locum suum contra adversarios usque ad novissima tempora aegre tenuit, et qui omnino rarer est, symptomatologiam adhuc mancam, et imperfectam esse, facile est intellectu.

Quae cordis polypis efficiuntur symptomata, in universum inde pendent, quod illi aut plus minusve cordis ventriculos explentes, aut eorum exitum periodice occludentes, sanguinis circulationem impediunt. De hujus morbi diagnosi imprimis *Wichmann* et *Laennec* meriti sunt, e quorum observationibus symptomata morbi haec statuuntur. Primum palpitatio cordis oriri solet, quae brevi quidem evanescit, sed serius ocius aegroti vehementer motione, vel situ in sinistro latere, vel resupinando repetitur. Medicus, si ex hoc unico signo morbum instantem diagnosticeret aptamque medendi rationem adhiberet, forsitan letalem exitum in longius tempus amovere possit, at quanta qualisque est difficultas ex palpitatione, quae saepissime sine cordis malis apparere solet, inimicum larvatum detegendi!

Quare quoque *Knips-Makoppe*, qui multum sane ad cognoscendos cordis polypos contulit, de hac re animadvertisit: »Cum vitium hoc inter initia, imo grandius jam factum, vix ulla sui vel communissima tantum cum caeteris morbis indicia praebat, a quoniam tempore prima polypi stamina fuerint exordita, vix datur conjectuae locus.«

Quae quidem symptomata pro majore vel minore incremento cordis polyporum pari modo perdurant, donec repente palpitatio cordis adaugetur et respirandi difficultas accedit, quae tamen nonnisi dyspnoea est, quod aegroti, dolores non sentientes, ab imo pectore spiritum ducere possunt.

Haec exacerbatio aut post coenam aut spirituosorum usum intrans saepe horas durat. Pulsum si inquiramus, valde irregularem et intermittentem inveniemus indeque

in liberis etiam intervallis, ubi palpitatio angorque plane evanuerunt. *Albrecht* et *Cheston* exempla cordis polypi quidem commemorant, ubi pulsus neque irregularis neque intermittens fuisse dicitur, sed num revera morbus, cui aegrotus occubuerat, polypus verus fuerit, valde dubitandum nobis videtur.

»Il arrive«, ait *Senac*, »quelquefois, que les polypes sont flottans, et que leur surface est unie; il paraît donc que de tels polypes, s'ils se formaient dans de corps vivans, pourraient très-souvent changer de place, boucher les grandes artères, s'opposer à l'entrée du sang dans les ventricules et, par consequent, deranger le pouls; reste à savoir si ces conjectures sont confirmées par quelque fait.«

Corvisart tum tales paroxysmos exsurgere, qui lipothymiam efficerent, commemorat:

»Bouchant alors en partie ou en totalité le diamètre de ces ouvertures, ils occasionnent des palpitations, de lipothymies, qui ne sont le plus souvent que passagères, parce qu'elles cessent au moment même, où ces concretions abandonnent les orifices qu'elles obliteraient, pour flotter comme auparavant et plus ou moins librement, selon l'étendue de leur implantation, aux parois du coeur dans l'intérieur de la cavité qui les renferme.«

Ad palpitationes pulsusque intermissionem vehementissima mortis anxietas accedit, ita ut aegroti, licet in omnes partes jactentur et quoctunque modo recubent, tamen non bene se habeant. Anxietatis impetu durante, extremitates plane frigidae sunt, facies tumida et livida, totum corpus saepe sudore profuso et viscido obtegitur, nonnunquam vomitatio et vomitus apparent. Noctes

inquiete transiguntur et aegroti somniis gravibus vexantur. Paroxysmus, qui nunc plerumque noctu, rarius interdiu sine ulla causa occasionali intrat, saepe in lipothymiam, quin syncopen transit.

Tempore interculari aegrotus paululum melius se habet, pulsus tamen irregularitas atque intermissio ad intervalla libera quoque protrahuntur. Fortiorem ictum debilior sequi solet.

Pedentim intervalla rariora et minus libera fiunt, aeger lectum relinquere nequit, motum levissimum vetat, ne paroxysmum provocet, quem si fortius accedit variis sitibus, pronus cubito fixo aut in abdomen jacens at frustra diminuere studet; mucus subflavus sanguine intertinctus interdum e bronchis expromitur.

Tandem paroxysmus perdurat sine ullo intervallo libero et aeger inter terribiles vexationes aut impetu fortiori celeri aut lentae morti, oedemate, tum ascitide et hydrothorace accendentibus occumbit.

DIAGNOSIS.

Physicalia stethoscopi signa, quae Laennec statuit, forsitan magnum auxilium ad illam confirmandam comparare possunt. Polypi tamen jam nonnullam magnitudinem assequuti sint necesse et quamquam Laennec illorum ope nonnullos casus cognovit, ipse illa non certissima habenda esse censem.

Si, ait Laennec, ad aegrotum, ejus cordis rhonchi priori tempore regulares fuerunt, perveneris et illos nunc tam anomalos, obscuros et conturbatos invenies, ut distinguere nequeas, tum polypi formationem in suspicione habere potes. Quae suspicio adhuc augetur, si

unum tantum cordis latus illos praebeat, aut si cor hesterni diei vespere exploratum nullum rhonchum suspectum ederet, at matutino sequentis diei tempore. Diagnosis certa fit, si ventriculus sinister inter quintam et sextam costam inquisitus nihil anomali demonstrat, dum sub sterno rhonchus anomalus et obscurus adest et vice versa.

Quibus observatis *Hope* quoque consentit. Caeterum haec symptomata non sunt negligenda.

Pulsus irregularitas et intermissio, verus dolor deficiens, palpitationes, quae initio lenes, tum vehementiores paroxysmos formant, ad quos vehementissima mortis anxietas et sub fine lypothymia accedunt.

V. AETIOLOGIA ET PROGNOSIS.

Duae cordis polyporum geneses, inter se plane diversae, quibus varia momenta causalia inserviunt, defendendae nobis videntur.

Alterius, quae ex crystallisatione fibrinae oritur, interna momenta sunt aut impedimenta sanguinis a coarctationibus in cordis ventriculis vel in eorum orificiis effecta, aut nimia sanguinis coagulabilitas.

Causae occasioneles.

a) Venaesectiones, quibus liquidae sanguinis partes detrahuntur et substantiae facile coagulantes remanent.

b) Pharmaceutica medicamenta eaque quae sanguinis circulationem tardam reddant, e. c. digitalis purpurea, aconitum napellus, colchicum autumnale et praecipue nauseosa. Fortasse etiam huc referendae sunt animi perturbationes deprimentes.

Quoad alteram genesin variae dyscrasiae et omnes morbi, in quibus diathesis fungosa praevalet, cordis polypos procreant. E dyscrasiis praecipue chlorosis, scorbutus, syphilis atque mercurialismus commemoranda sunt, quorum exempla plerique auctores narraverunt, quaeve hic uberior tractare fines nostros excederet.

De arthritide nullum adhuc certum documentum prolatum est.

Prognosis

pessima est statuenda, cum cordis polypi adhuc semper morte, sanguinis circulationis retardatione adducta, serius ocios finiti sint.

Jam *Fr. Hoffmann* »morbum,« dicit, »curatu difficultimum, cui etiam manus haud libenter admovere soleo.« Caeterum prognosis constituitur:

a) e sede cordis polyporum, qui quo longius a valvulis et orificiis distant, eo faustior prognosis est; libere natantium (végétations globulaires) faustior quam adhaerentium prognosis est; polyporum in atriis cordis minus fausta, quam eorum, qui in ventriculis sunt, prognosis esse dicitur.

b) e magnitudine et numero eorum, ita quidem, ut, quo minores et pauciores sunt, eo faustior sit prognosis.

c) ex genesi polyporum cordis; si polypi sunt excrescentiae a dyscrasiis ob universalem morbum cum iis conjunctum profectae, infaustiorem quam ii, qui e crystallisatione sanguinis prodierunt, prognosin statuunt.

*) Bohlen uberior morbi casum describit, ubi neglectae haemorrhoides causa cordis polypi fuisse dicuntur in: umständliche Relation etc. Berlin 1710.

VI. MEDENDI RATIO.

Tum demum, quum sicuti in organicis cordis morbis accurata certaque diagnosi nixi prima nostri mali initia perspicere incrementisque ejus occurrere valebimus, major vitam servandi erit spes, pro hodierna tamen ratione haud dissimulari potest, prosperas curationes polyporum cordis minimas esse, quippe quibus mors tantum paulisper amoveatur.

Wichmann ita disserit:

»Diesem allen muss ich nun noch das traurige Geständniß beifügen, daß ich den Lesern kein Mittel wider dieses traurige Uebel anzugeben weiß und ich bei diesen Kranken noch immer sehr unglücklich gewesen bin, obgleich ich ihre Krankheit immer besser kennen gelernt habe.«

Caeterum ratio, aliorum cordis morborum organicorum similis statuatur medendi necesse.

Omnibus fere in morbis organicis vis cordis vitalis debilitatur, sanguinisque circulatio plerumque mechanice diminuitur et retardatur.

Summum igitur est curationis, circulationem quam maxime elevare, ejusdem tamen irritationem vitare, dum cordis vires iis remediis sustentantur, quae circulationem irritare nequeant. Accedit, quod saepe alii morbi cordis malo se conjungant, quos tamen negligere non debeas.

Indicatio prima.

Circulatio quam maxime elevanda et sedanda est. Quod attinet ad diaetam, aegroti omnes corporis animique actiones nimias vitare, et exiguos, tenues, haud calefacientes cibos sumere debent. Motus, ut ita dicam,

passivi in curribus lentisque equis, aër modice frigidus, quies magis proficiunt, dum animi affectus valde nocent. Cibi nonnisi ad vitam sustentandam spectare debent, ne propter nimiam sanguinis copiam venaesectione opus sit.

Venaesectio remediaque, quae alvum mollem redundunt, circulationem irritatam maxime sedant.

Illa quidem morbi initio tantum apta nobis videtur, ubi tamen pulsus non semper est verus judex.

Sanguinis autem copia, proh dolor! facillime restituitur, ita ut post mensem nova opus sit venaesectione, si dyspnoea angorque graviores fierent. Venaesectio ipsa nunquam fere sex usque octo uncias excedere debet, major cordis vires nimis debilitaret. Hirudines quoque interdum habent vim efficacem et, si adsint haemorrhoides, circa anum applicari possint.

Intestina impleta cordis functionem, circulationem, valde turbant, itaque praesertim cum in cordis malis gastricae quoque functiones laborent, medicus ut aeger sedem unam eamque mollem habeat, clysmatibus, Tartar. tartar., sal. anglic. Tamarindis, Elect. lenit. efficere debet. —

Indicatio secunda.

Vires aegroti remediis haud calefacientibus augendae sunt, quod dupli modo: indirecto et directo fieri potest. Ad primum spectant remedia illa, quae cordis degenerationes pedetentim diminuere valent. Quorum primum locum tenent omnia Epispastica: vesicatoria, exulcerationes per Tartar. stibiat., praecipue Setaceum in cordis regione applicatum, quae omnia longum per tempus serventur, necesse.

Quo modo autem epispastica valeant, fusius explicare, certe supervacaneum foret.

Remediorum internorum praecipue alterantia commendata sunt: Hydrarg. kali sulphurat., porro fames; quies, lac, lactis sera aluminata et dulcia, aqua mineralis carbonica, extracta resolventia, sed num revera iisdem magna vis in organicos cordis morbos exerceatur, in dubio esse nobis videtur.

Hic methodus a *Valsala* et *Albertini* adhibita referenda est, qui aegrotis venaesectiones, donec vires non admodum exhaustae essent, tum quietem in lecto, diaetamque tantum lacteam imperaverunt. Aegroti, quamvis ut vix membrum quodque extenderent et moverent debilitati, tamen longiore, acerbissimis illis molestiis carente vita, quin sanatione, ut auctores commemorant, gavisi esse dicuntur. Sed methodus, quippe quae nondum experientia confirmata sit, nonnisi magnis sub cautelis adhibenda est.

Ad secundam, quam commemoravi, rationem eamque directam, Valeriana, acidorum mineralium, ferri, aluminis, digitalis usus pertinere videtur.

Valeriana, subtilissime pulverata et quotidie a drachmis duabus usque unciam semis sumta, cordis nervorum adauictam sensibilitatem, quae tam saepe morbos organicos comitatur, diminuere energiamque cordis ipsius promovere dicitur.

Acida mineralia et prae ceteris elixir acidum *Halleri* vasorum erethismum sedare valent.

Alumen, quod raro adhuc adhibitum est, ad haemorrhagia coercenda commendatur.

Digitalem post fugatam inflammationem adhibitam

cordis energiam sustentare sensibilitatemque adauictam coercere constat, sed forsitan ex genesi atque aetiology illud remedium pari modo ac ferrum, quippe quod circulationem adaugeat, cruris formationi faveat, in cordis polypis primae seriei non aptum esse eluceat.

Tertia indicatione

ad morbos comitantes respicimus, quos secundum varietatem eorumque individualitatem tractare debemus.

Quarta denique indicatione

exacerbationes vehementes paroxysmosque repentinorum tollere tentamus. Circulationem subito evanescentem venaesectionibus, balneis manuum atque pedum localibus, clysmatibus, vesicatoriis, sinapismis, facilimē elevare possumus, dum interna remedia, quae in veris circulationis impedimentis nihil fere valeant, nonnisi praecaute adhibere debemus. *Cheston* aetheris vitrioli laudes offert, alii Moschum, Opium laudant, sed si venaesectiones atque epispastica nihil adhuc efficiant, illa vitam quoque non sustentabunt, de qua conservanda tum plane desperandum est.

In polypis, denique e dyscrasiis enatis, respectum praesertim morbi initio ad illas ipsas habendum esse, cuique perspicuum erit.

V I T A.

*Guilelmus Baly, Lynn Regis, oppido Angliae mense Mayo anni MDCCCXIV natus sum, patre **Guilelmo**, matre **Francisca** e gente **Goodwin**, quibus adhuc viventibus gaudeo. Ecclesiae Anglicanae addictus sum.*

Litterarum initiiis in Gymnasio oppidi Lynn Regis imbutus, atque tum medicinae, chirurgiae atque pharmaciae elementis edoctus sum a viro **Exp. Thoma Ingle** chirурgo ejusdem oppidi per annos tres. Anno MDCCCXXX inter cives academicos Universitatis Londinensis receptus, atque per annos duos ibidem versatus hasce scholas frequentavi: apud vir. Ill. **Turner** chemiam, apud vir. Ill. **Thomson** materiam medicam et therapiam, apud vir. Ill. **Jones Quain** anatom. et physiolog., apud vir. **Clar. R. Quain** anatom. demonstrationes et anatomiam practicam, apud vir. Ill. **Elliotson** artem et theoriam medicinae, apud vir. Ill. **Carswell** pathologiam et anatomiam pathologicam;

apud vir. Ill. *Grant* anatomiam comparatam et zoologiam,
apud vir. Ill. *S. Cooper* chirurgiam. A. MDCCCXXXII
in nosocomio Sancti Bartholomaei clinicis medicis et chi-
rurgicis apud viros Ill. *Latham*, *Hue*, *Roberts*, *Vincent*,
Lawrence et *Earle* adsui. Eodem quoque tempore hos
viros illustrissimos disserentes audivi: *Lawrence* de chi-
rurgia, *Burrows* et *Rouppell* de medicina forensi et *Fred.*
Farre de botanice. Anno MDCCCXXXIV Parisios adii
et hic clinicis interfui: apud vir. Ill. *Louis*, *Andral*, *Chomel*,
clinicis medicis, apud vir. Ill. *Andral* pathologiae
speciali, *Broussais* therapiae generali, *Berard* physiolo-
giae et *Halmagrand* arti obstetriciae.

Jam hanc litterarum sedem autumno a. MDCCCXXXV
petii; a Rectore magnifico Ill. *Steffens* civibus academi-
eis adscriptus et apud spectabilissimum *Busch* t. t. De-
canum, nomen professus hos viros Ill. disserentes audivi:
Ill. *Mueller* de anatomia practica, Ill. *Juengken* in cli-
nico ophthalmico, Cel. *Wolff* medico, Ill. *Mitscherlich* de
chemia.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Syphilidem omnibus aetatibus adfuisse censeo.*
 2. *Phthisis pulmonum tuberculosa est sana-bilis.*
 3. *Non est, quod dicunt Hahnemanni systema.*
 4. *Signum graviditatis gravissimum auscul-tatione percipitur.*
-